POSITIONES THEOLOGICAE

QVIBVS EXAMINANTVR ET REFVTANTVR TERTVLLIANI RATIONES PRO MONOGAMIA: siue contra secundas nuptias:

Præside
DANIELE TOSSANO *S. Theologiæ Doctore & Professore:*

Respondente
ALBERTO HANFELDIO DVRLACENSE.

Disputabuntur in Auditorio Theologico, horis antemeridianis: die 2. Nouembris.

HEIDELBERGÆ,
cIↃ. IↃ. LXXXIIX.

NOBILITATE DOCTRINA ET DIGNITATE CONSPICVO VIRO D. PHILIPPO WAMBOLDO IN VMBSTAT, &c. Patrono suo honorando.

OMNE intempestiuum ingratum, inquit Isocrates. Sed intempestiuum non puto esse, vir nobilissime, tibi tertias iam nuptias: quibus de Cœlis benedicat IEHOVA, *repetenti, nostras has theses contra Monogamiæ nimis rigidos defensores inscribere: breues illas quidem, sed quas volo esse summæ meæ erga te, qui Neustadij & hîc Heidelbergæ religionis Catholicæ Orthodoxæ, & Scholarum religiosarũ magnus fuisti patronus, obseruantiæ testimonium, & qualecunque Mnemosynum. Faxit autem Dominus* IESVS *Ecclesiæ sponsus, vt cum nobilissima sponsa tua Landschadia, constanter & sincerè illi sponso adhæreas & seruias, & ad nuptias Regis cælorum, ad quas per prædicationem Euangelij inuitamur (de quibus hic, ternum Euangelium Matth. 22. Ecclesiam commonefecit) te perpetuò compares. Vale & salue, vir amplissime. Heidelbergæ 21. Octobr. 1588.*

Tui obseruantiss.

DANIEL TOSSANVS.

POSITIONES
DE SECVNDIS
NVPTIIS.

THESIS PRIMA.

NOn quæritur nunc, qua occasione cum Montano hæretico, nuptiis, præsertim secundis, iniquior fuerit Tertullianus: an (sicut alicubi scribit Hieronymus) impatientia victus, & inuidia ac contumeliis Cleri Romani Româ pulsus, ad Montanum defecerit: an verò (quemadmodum Beatus Rhenanus arbitratur) quod Tertullianus sibi persuaderet, ut & illius temporis multi alij faciebant, ultimum diem præ foribus esse, & tempore persequutionis non parùm impedimenti ex Coniugio nasci: Sed quæritur an rationes ipsius quas lib. 1. ad Vxorem, & imprimis libro de Monogamia contra secundas nuptias adfert, alicuius sint momenti.

II.

Nos negamus: & non solùm ab ipso secundas nuptias malè improbari in genere: verùm etiam ab Hieronymo & aliis Pontificiis non rectè in Ecclesiæ ministris reprehendi, & Bigamos malè definiri solere asserimus.

III.

Quemadmodum autem Pontificii, vbi illis aqua hæret, & testimoniis Scripturæ destituuntur, ad dogmata quædã ἄγραφα & traditiones confugiũt: sic Tertullianus cum Montano ad reuelationes sui Paracleti, qui multa suggesserit, quæ in Scripturis non sint, perfugium habet

IV.

Sed Paracletus non nouas leges constituturus dicitur, aut noua dogmata traditurus: sed Christum glorificaturus, & abeo accepturus, quod renunciet: siue reuocatu-

rus in memoriam, & altius mentibus Apostolorum ei
Ioh. 14. 26. insculpturus, quæ à Christo audiuerant: Deinde mera est petitio principii: Spiritum Montani prohibentem secundas nuptias, esse Paracletum illum promissum.

V.

Sic etiam pręter sensum Apostoli Psychicos eos appellat Tertullianus: qui secundas nuptias repetunt, quas carnis infirmitatem impudenter suadere pronunciat: cùm tamen D. Paulo, & B. Iudæ ψυχικοὶ dicantur οἱ πνεῦμα μὴ ἔχοντες: sive, quod eodem redit, non regenerati, filii huius seculi, qui solam prudentiam rationis humanæ [illegible],
1. Cor. 2. quibus opponit Paulus eos, qui spiritum illum Dei, spiritualiter res cœlestes dijudicantem, acceperunt.

VI.

Argumenta porrò, quæ pro Monogamia adfert Tertullianus, valdè infirma sunt: quorum primum ductum est ab Antiquitate primæ creationis. Vnam (inquit) fœminam masculo finxit protoplastes: vna costa ex latere Adami decerpta est: Et legem adiecit: Et erunt duo in carnem vnam: Ergò secundas nuptias & secundam uxorem repetere non licet.

VII.

Negatur consequentia à viuis coniugibus ad mortuos, aut saltem ad alterum coniugem demortuum: tali enim casu, id est, altero coniuge mortuo, teste D. Paulo Rom. 7. liberata est mulier à lege mariti: & eadem ratione vir à lege vxoris.

VIII.

Nam friuola est exceptio aut restrictio potius Tertulliani; quando ait Apostolum 1. Corinth. 7. v. 39. cùm scribit, vxorem alligatam esse legi, quàmdiu viuit vir ipsius: quòd si obdormiuerit, liberam esse, ad, cui velit, nubendum: illà, inquam, verba non simpliciter de viduis intelligenda

ligenda, ſed de viduis, quarum prior maritus Ethnicus fuerat: ita ut nubentes alteri Chriſtiano, ille alter cenſendus ſit: quaſi primus maritus à Fide: cùm tamen totus ille locus ſimpliciter agat de muliere vidua, & conueniat cum loco ad Rom. 7. v. 2. vbi in genere de lege mariti & vxoris exemplum proponitur.

IX.

Durum porrò illud eſt & alienum, quod pòſt fratricidium aliud ſcelus ſucceſsiſſe ſcribit Tertullianus, nempè duas nuptias: primò ſceleris autore Lamecho: vbi errat per fallaciam ὁμωνυμίας: Polygamia enim Lamechi, qui ſimul duas vxores duxit, non laudatur: Sed alia eſt ratio huius Polygamiæ, qua mortuo coniuge ad ſecundas aut plures nuptias convolatur.

X.

Atqui (inquit Tertullianus) vna eſt Eccleſia, & vnicus ſponſus: cuius typus eſt coniugium. Ergò, ut typus antitypo conueniat, unum ſponſum vel vnam ſponſam in coniugio eſſe oportet. Reſpondeo, primùm ſimilitudines & comparationes valere ſecundùm quid, nec nimis latè extendendas. Deinde in ſecundis nuptiis manere etiã typũ: quia & in illis duo, non plures ſunt in carnem vnam: & mortua coniũx non amplius tali pacto cõiunx eſt, ut cũ marito ſit vna caro, cui in his terris adhæreat & præſto ſit.

XI.

Ineptum verò eſt, quod, vir aliàs certè magnus, affert: Chriſtum tantùm ſemel nuptiis interfuiſſe: Nam ſcopus Euangelij non fuit recenſere, quoties nuptiis Chriſtus interfuerit (potuit enim ſæpius interfuiſſe:) & vt maximè ſemel tantùm interfuiſſet, nullum firmum argumentum contra ſecundas nuptias inde extrui poteſt.

XII.

Sicut nec ex allegoria duarum coniugum Abrahæ: Si,

inquit Tertullianus, Digamiam tibi intuleris: non es filius Abrahæ filius, cuius fides in Monogamia præcessit: Digamia siquidem Abrahami portendebat duas Ecclesias, veram & falsam.

XIII.

Nihil (inquam) illud exemplum Digamiæ Abrahæ, ut pote planè dissimile, contra eā, de qua agimus, facit: nec rectè definiuntur filij Abrahæ à Monogamia, quos à Fide in promissionem de Christo Scriptura definit.

XIIII.

Instat Tertullianus: quod vna caro factum est, in aliam carnem conuenire non posse sine adulterio. Respondeo: viua scilicet coniuge, & durante eo tempore quo vna sunt caro: Sed Apostolus manifestè docet, Legem illā cessare, mortuo altero cōiuge, ut etiā suprà thesi 10. exposuimus.

XV.

Atqui, inquit, non aliqua culpa aut propria voluntate fit separatio illa ab altero coniuge per mortē: & durat coniunctio etiam inter coniuges absentes! Respondeo, coniunctionem in Christo semper durare etiā post mortem: Coniunctionem in carnem unam ad coniugium & officia coniugalia propriè spectantem, morte dissolui, idq; diuina ordinatione: & huic ordinationi facilè se subiicientibus coniugibus, qui in Domino obdormiunt, & vnus Spiritus manēt nobiscum in Domino, etiā post mortem: licet non sint amplius vna caro: quandoquidem in illa vita pii non amplius uxores ducunt: sed si coniugiū spectes, sunt, ut Angeli Dei in cælo: qui scilicet toti Domino adhærent. Alia autem est ratio peregrinationis: quia viuens coniunx potest redire, & officia coniugalia præstare: & lege coniugali tenentur coniuges, dum viuunt

XVI.

Fallacia porrò est accidētis, quòd concupiscentias carnis

nis, quibus Christianis sit renunciandum, nuptias secundas suadere Montanistæ existimabant; quod & de primis nuptiis impurus ille Papa Siricius pronunciauit: Fines. n. nuptiarum, tùm primarum tùm secundarum scimus ex Scripturis esse non solùm remedium contra libidines, aut prolis desiderium, sed & auxilium accommodum atque præsens, dulceque ac sanctum vitæ consortium.

XVII.

Nos autem secundis & sæpiùs repetitis nuptiis ita patrocinamur, ut leuitatem eorum coniugum damnemus, qui vel nimis citò, vel temerè & sine legitimis causis ad secundas nuptias properant, vel paritatē aliquam in coniugiis non seruant, vel petulantia sola carnis ducuntur: de qua petulantia & leuitate saltem in fœminis illud Martialis procul dubio intelligi debet:

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est.

XVIII.

Sed rursus displicet nonnullorum Patrum, ut Ambrosij, Augustini & Pontificiorum sentētia, qui secundas nuptias licitas quidem agnoscunt esse Laicis (quos vocant) non autem Sacerdotibus aut Clericis, & locum illum 1. Tim. 3. *Episcopus sit vnius vxoris maritus*: sic accipiunt, quasi promouendus non sit, qui duas vxores habuerit, quoquoid sit tempore.

XIX.

Longè melius Chrysostomus & Theodoretus locum illum ita intelligunt, quòd Episcopus simul plures vxores habere non debeat, vel esse concubinarius & scortator, quales plerique sunt in Papatu, sed in legitimo potiùs coniugio viuere eum deceat.

XX.

Et agnoscit Ambrosius ipse, in illum locum scribens, secundas nuptias nō esse prohibitas: sed id putat ad dignitatem & sublimitatem Episcopalem facere, si Episcopus

nuptias

nuptias non repetat: At illi rationi opponitur ratio Apostolica: Coniugium cùm sit honorabilis status inter quoslibet, nihil posse detrahere de dignitate Sacerdotali: & quæ sunt causæ primarum nuptiarum, easdem & secundarum & tertiarum, quæ legitimè contrahuntur. Quòd si vllus ordo in terris fido auxilio opus habet, & si vlli vitanda sunt offendicula, vitandæ etiam insidiæ Diaboli: ordo est Sacerdotum, siue Ministrorum Ecclesiæ.

XXI.

Ideò Hieronymus, qui alioqui nuptiis parũ æquus fuit, ad Pammachium: Nõ damno (inquit) bigamos, imò nec trigamos, &, si dici potest, octogamos: & libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam.

XXII.

Nugę sunt ergò meræ Pontificiorum: qui Bigamiam improbatam, aut Polygamiam vocant, si quis Episcopus aut sacerdos in Ecclesiis reformatis mortua priore coniuge aliam ducat: cùm norint eruditi Bigamiam & Polygamiam illam demùm improbari, si quis vno tempore plures ducat.

XXIII.

Quapropter & Can. 16. quem Apostolorum vocant, & pro sua sententia adducũt Pontificii, meritò suspectus esse debet, cùm doctrinæ Apostolicæ non sit consentiens.

XXIV.

Denique quæcunque veteres scripserunt, siue Tertullianus, siue alij, cum iudicio legenda sunt, vt ea, quæ contra Ecclesiam & Scripturas scripserũt (sicut Hieronymus agnoscit, contra Ecclesiam scriptos libros de Monogamia) repudiemus.

FINIS.